

D E  
**HYDROCEPHALO**

**ACUTO INFANTUM  
SPECIMEN INAUGURALE**

Q U O D

**NUTU ET AUCTORITATE MAGNIFICI DO-  
MINI PRAESIDIS, SPECTABILIS DOMINI  
DECANI, CLARISSIMORUM D. D.  
PROFESSORUM**

P R O

**DOCTORIS MEDICINAE LAUREA RITE OBTI-  
NENDA, IN REGIA SCIENTIARUM UNIVERSI-  
TATE PESTANA.**

CONSCRIPSIT

***JOANNES KOVÁCSY.***

**HUNGARUS.**

---

In Theses adnexas disputabitur in aedibus  
Facultatis Medicae die Novemb. 1831.

---

---

**PESTINI,  
TIPIS LANDERERIANIS.**

**SPECTABILI PERILLUSTRI**

**AC GENEROSO**

**DOMINO DOMINO**

**ANTONIO GÁBORI,**

**J. R. SUPREMI INFERIORIS HUNGARIAE CAME-  
RAEGRAFFIATUS OFFICII SCHEMNICIENSIS AS-  
SESSORI, ET J. DOMINIORUM MONTANO CA-  
MERALIIUM SUPREMO OECONOMIAE INSPEC-  
TORI NEC NON PER J. REGNUM HUNGARIAE  
FORI UTRIUSQUE JURATO CAUSARUM  
ADVOCATO etc. etc.**

# **V I R O**

**Humanitate, Scientia Animi Candore ac Benevolentia Insigni,**

**Tenues has paginas in Venerationis Cultusque Testimonium sacras esse vult**



**Auctor.**

# Introductio.

## §. 1.

**H**ydrocephalus acutus internus, Meningitis Encephalitis exsudativa, Hydrops ventriculorum cerebri, Apoplexia hydrocephalica Cullenii, Hydrocephalitis, est pirexia infantes tenellos lente plerumque adoriens, lassitudine, febricula et lassitudine capitis, pupillae dilatatione, somnolentia afficiens ac lymphae intra cava ventriculorum cerebri exsudatione, terminanda. Morbus hic licet antiquis medicis ut ex operibus Hippocratis, Galeni, Pauli Aeginetae, Vesalii, Guil. de Saliceto, Albucasii cernere valemus, haud penitus ignotus fuerit, tamen recentioribus temporibus solum anno 1768 praeunte Rob. Whitt ac Fothergill, Quin, tardius Cell Odier, Cheyne, Formey, Portenschlag, Gölis in ejus naturam penitus indagatum est.

§. 2. Nosologia ac Diagnosis Hydrocephali acuti Decursum morbi hujus jam in duas, tres, quatuorve periodos distinguere placuit. Cum tamen hinc inde observaretur, distincto ac certo tempore certam phaenomenorum seriem sibi succedere, Logicae principiis innixi sequentem divisionem construere omnino consentaneum esse videbatur quippe: in stadium prodromorum, stadium irritationis vasorum seu inflammationis, stadium exsudationis, stadium paralyseos.

§. 3. Signa quae mox initio morbum satis vivide ac indubio caractere notare valerent vix possidemus, cum ea praesertim in tenellis vel non animadvertan-

tur vel aliis mutationibus morborum imputentur cum et Helminthiasis, Dentitio Scrofulae interdum similem producant statum morbosum, casta tamen ac solers medicorum observatio sequentia stadio incubationis propria deprehendere valuit: infans pallidus, anorecticus, vel plus cibi cupiens, segnis, aliquot diebus cephalaea ac doloribus abdominis, functione viscerum cavi hujus simul alterata tentatur, lassus frequenter suspirat. Lingua est mollis, humida, tenui muco albidotecta, excretionibus alvinae initio limosae, mox gelatinosae profunde virentes nimium foetidae, jam nigrae pici similes animadvertuntur, cum quibus hinc inde et ascarides expelli visae sunt, urina hinc inde est turbida sedimentum album deponens, quod signum characteristicum morbi hujus esse Odier et Formey asserunt. Pulsus est parvus contractus irregularis semper vi ac celeritate varians, mox frequens jam normali tardior, is carotidum fortis manifestus. Seriei huic phaenomenorum morbosorum adsociant se mox et alia, ut pote: animus variabilis in iram pronus, incessus peculiaris quo infantes licet in plano euntes, membra alte levant citoque vertigine correpti labuntur, rubor faciei cum pallore alternans, somnus inquietus vel coma vigil, cutis sicca, horror. Prodramorū frequentissimum est exanthema miliare cutim inter ac epidermidem situm, pallidum, brachia genas ac labia occupans, cuti concolor. Symptomata haec diutius jam brevius durantia neququam semper omnia visuntur, quod tunc praepremis contingit si morbus repente exortus cito acme suam attingere pergat.

§. 4. Stadium II. inflammationis irritationis vasorum Frankii, stadium sensibilitatis Cheynii, insignitur symptomatibus phlogoseis altioris; cephalaea est vehemens regionem frontalem ac tempora occupans, calor est siccus mordax, infans saepe bulbos oculorum terit, conjunctiva rubens photophobia insignis, agente luce intensiori oculus revolvitur, visus illuditur sae-

piusque puncta rubra jam obscura in aere volitantia cernuntur, palpebra superior jam inferior tumida copiosum secernunt mucum. Sub somno oculus sinister pro parte solum palpebra tegitur, estque fixus, auris nimium sensilis sono altiori nimium afficitur. Emissis intra noctem ter quaterve subsequens moto corpore recrudescit, potus cibo facilius evomitur. Situs horisontalis fronte pulvinari impressa aegro praeplacet. Periodus haec morbi functione se et excretionum pertubata insignitur, alvus nunc obstipa est, nec purgantibus facile reseranda, vel virescens liquida mucosa, abdomen quin contenta evacuentur collabitur, quod Cell Gölis animadvertit, cutis est sicca, cavum narium ac faucium siccum aestuans, saliva spissescens, urina parca, exacerbatio febrilis tempore ac duratione inconstans, pulsus parvus irregularis, inaequalis vel intermittens, somnus inquietus stridore dentium, somniis terrificis comitatur, facies pallida anxia vel rubore circumscripto notata, olfactus auditusque acer, gustus ac visus obtusior, vox initio raucescens, loquela tarda, profunda, tandem vox alta loquela citata ac incohaerens. Respiratio quam saepe tussis vehemens intercipit est citata, cor palpitat. Facultatuum quoque intellectualium exercitium turbatum est, memoria labilis, iudicium erroneum, deliria blanda. Symptomatum haec congeries variat si Hydrocephalus ut morbus secundarius exanthematum compareat vel cum aliis morborum speciebus velut gastricis, dentitione scrofulis etc. complicetur.

§. 5. Stadium III. stadium exsudationis et effusionis humorum serosorum ac lymphaticorum. Stadium torporis vel sensibilitatis imminutae Frankii. Nunc infans vehementia symptomatum aliquantulum imminuta quin tamen perniciēs mali cessaret, quietior factus stupore semper aucto situm suum horisontalem non mutat, nec pedibus insistere nec sedere valet, immo lecto levatus ac sustentatus, mox anxius ac male contentus adparet. Oculi antea erga lucem sensiles

nunc stimulo hoc minus afficiuntur lente et oblique sub palpebris semiparaliticis rotantur, pupilla lente contrahitur, iris est tremula visus debilis luscus, vel adest diplopia, aspectus trux. Sensus reliqui quoque in stadio hoc labefactantur. Memoria hebes. Color faciei nunc frequenter mutatus est, hinc inde tota facies rubore lacto suffunditur, quo tempore pulsus celerissimus, rubore disparente sudor prorumpit pulsuumque frequentiam imminuit. Saepe infans soporosus distinctam cranii plagam manu tegit, vel digito aurim ac nares vehementer vellicat, etsi antea mundissimus lotium involuntarie mittit, alvus et hic frequenter est obstipa. Adest coma vigil, sub qua aegri oculis semiapertis dormire tentant, sed somnum mox fletus jam suspiria interrumpunt. Emesis silet ac adpetitus cibi reviviscit, cibos imprimis carneos exoptans, infantes sugentes papillam mammae cum desiderio ori admovent. His meteorismus, ruetus animaque foetens se adsociant. Omnia haec phaenomena suppressam sensibilitatem indicantia gradu augentur moxque stadio morbi IV. locum cedentia, scenam vitae, atroci manu claudere pergunt.

§. 6. Stadium IV. Stadium paralyseos. Musculi lateris unius spastice adfecti convelluntur, dum ii oppositi lateris paresi ac paralyti juncti quiescunt, vel tetanus in specie opisthotonus aegrum usque finem vitae torquet, pupilla insensilis paralytica morbose distenta, stimulo lucis non amplius paret, saepe amaurosis mortem praecurrit, vox debilis balbutiens, deliria blanda hinc inde spasmis clamore comitatis interrupta, sphincteres paralytice adfecti, vi mechanicae prementi contentorum non resistunt, hinc faeces ac lotium involuntarie evacuantur, pulsus fit nimium celer, parvus filiformis intermittens, cutis est calida frons sudore madens, dum interim extremitates rigore torpeant ac pallent. Respiratio brevis anhelosa, stertorosa, rubor hecticus cum pallore ac sudore viscido in facie alternat, oculi levi muco teguntur, palpebra prolabitur,

miliaria saepe ante mortem comparent, sopor spasmis solum interruptus durat adhuc biduo triduoque, donec Atropos filum vitae non praescindat.

### §. 7.

#### Pathogenia ac Aetiologia.

De natura morbi hujus sententiae auctorum diversissimae sunt, observationes tamen indefessae ac attentae medicorum aevi nostri, quo Hydrocephalus infantum frequentius videri est, effecere ut clarior de natura mali ac ejus causa proxima suppeditari possit sententia. Encephalitidem exsudativam status inflammatorius menyngum vel cerebri ipsius praecurrere solet. Phlogosis perfecta semper quidem praesto non est, attamen irritationem vasorum haematophorum huic statui affinem, ubi exsudatio formari visa est semper animadvertere licebit. De relatione irritationis ac inflammationis harumque ad exsudationem eae vigent leges quae in generalibus inflammationis uberius explanantur. Cur speciem hanc Encephalitidis adeo formationi humorum favere videamus, momentum praedisponens partim in textura organorum adsectorum (menynges membranae sunt serosae) partim in vitae periodo infantum quaerendum est. Praevalens nisus formativus ex sudationi humorum plasticorum favens, horum nimius versus caput impetus, per stadia evolutionis physicae ac psychicae sollicitandus, aetatem teneram, ut facilius morbus hic evolvatur praedisponere valent. Antiquiores Pathologi effectum morbi lympham quippe exsudatam solum, considerando symptomata, singula hydrocephali stadia peculiariter characterisantia praetervidebant, hincque naturam ejus inflammatoriam negare adnisi sunt, quam tamen sententiam observata cell. Quin, Fothergill, J. P., Frank, Rush, Hufeland, Girtanner, Löbel, Gölis, abunde refellunt. Whitt, Macbride, Wichmann, Jahn, Hydrocephalum acutum morbum asthenicum esse ajuut, eumque pro febris adynamica nervosa declarant.



Causae praedisponentes : structura encephali mirifice subtilis, occasionem praebere potest ut in partibus ejus solidis harmonia quoquo modo turbari possit, quae effectum nocivum in fluidis etiam exerere valeret. Organismis cerebri vaporem, aliis liquorem emanare constat, secretionem hac morbose cohibita vel aucta, sit, ut circulus humorum a norma consveta recedat, stagnabit igitur, dum locis aliis morbose accumulabitur. Accumulatio haec humorum gradu aucta diu persistere nequit, quin in organismo reliquo sequelae infaustae mox exoriantur. Sicut vero constitutio zomatica ob structuram cerebri subtiliorem in una major quam in alia esse possit, hinc explicari potest cur in quibusdam familiis proles licet causae nocentes non praecessissent victimae morbo atroci cedant, quod Cell. Odier saepius animadvertisse testatur. Prima igitur vitae periodus malo huic praeceteris favet; dispositio vero peculiaris producit partim per vitia connata, ac acquisita organisationis. Dentitio, vasorum cerebri irritabilitatem exaltat, sanguinis, aliorumque humorum accessum in organon nervosum centrale auget, plasticitatem, processum vegetationis et excretionem materiarum ad formationem destinatarum intendit, status hic inflammationi affinis, nonne irritationem vasorum vel inflammationem sufflaminare valebit. Processus hi vegetationis excessivae jamjam justam normam deserere adnitentes, consensus functionum intra certos limites restringit, secreta copiosa vitae interitum minantia autocratia naturae ptyalismo, diarrhoea expellit, vel excretionibus his insufficientibus actionem vicariam systematis dermatici intendit, ut nunc catarrhi membranarum mucosarum, alias impetigines laete germinent; antagonismo, hoc salutari deficiente, nisus hic excessivus vasorum inflammationem meningum hujusque comitem exsudationem producere adnititur. Peculiarem attentionem conformatio cranii meretur, sic caput globosum grande, oculi profundi arcubus supra ciliari-

bus prominentibus tecti, saepius morbo ansam praebuisse observatores docent.

§. 8. Causae nocentes occasionales diversissimae sunt. In genere omnes potentiae quae vasorum secermentium capitis actionem intendunt vel sustentant, vel humores eo alliciunt fomitem morbi constituunt. Sunt autem similes: exanthematum acutorum vel impetiginum laete germinantium intempestiva retropulsio; intempestiva suppressio ulcerum diarrhoeae, aliarumque se et excretionum, quarum evacuationi organismus jam asseverat, huc quoque turbata febrium crisis referenda erit. Abusus medicaminum stimulantium volatilium jam fixorum, imprimis vero narcoticorum malum hoc inducere consuevit; nec refrigerium calente capite admissum innocuum esse, experientia edocemur. Commotio cerebri per vulnus vel contusionem inducta apud infantes adultiores, non solum hydrocephalum chronicum sed et acutum producere valebit (Otier Gölis) Inflammationes partium cranio adjacentium ob congestionem humorum quam versus encephalon causant vel ut erisypelas faciei, parotitis, isthmitis, tracheitis acuta, de hydrope cerebri producendo suspectae sunt. Blumenbach mollitiem ossium cranii diutius persistentem, tardam suturarum occlusionem morbo huic opitulari asserit. Dispositione praesente frequentem causam morbi constituunt, adstrictio memoriae in prolibus jam adultioribus intensior, animi affectus imprimis ira, terror.

### P r o g n o s i s.

§. 9. Morborum acutorum non in totum certae sunt praenuntiationes neque salutis neque mortis dicit pater medicinae Hippocrates Aphorism. lib. 2, sect. 2. aphorism. 19. sic et Hydrocephali praesagium anceps utique est. Morbus plene evolutus effusione humorum jam subsecuta vix unquam sanatus fuit. C. J. P. Frank periculum mali sequentibus exponere conabatur: num vel unus de cujus hydrope ad

cerebrum acuto constitit ab eodem nisi casu quasi fortuito in aliam partem coniecto, aut in alium morbum converso convaluerit, etsi viri graves de hoc sibi suaviter blanditi sint absque ulla in istos injuria quae in nos ipsos non recaderet, dubitare licebit. Quousque nomen hydropis necdum meretur sed breve post tempus meritura est acuta cerebri irritatio, inflammatio non omnem curationis spem ab illa respui, concedimus; quam primum vero tantum aquae in ventriculis cerebri, ut certa quaedam per signa se prodant collectum est, sub tam pigra serihis e locis resorptione, de sanatione morbi conclamatum esse putamus.

§. 10. Determinatur praesagium felix per momentum duplex nempe si opes medici satis mature petatur, hicque provocatus diagnosi morbi rite facta pharmacis statui morbosio convenientibus utatur; ast et reliquae quae metum augere spemque erigere valeant, diligenter pensandasunt. Spes fausti eventus excitatur si compertum sit aegrum antea sanum existitisse, sic et causae nocentes modificationem prognoseos efficiunt: morbus causa levi excitatus citius ac tutius sanabitur eo, qui momentis nocentibus validis diuque agentibus excitabatur. Multum lucis in prognosi rite formanda subministrat habitus corporis externus. Calor, turgor faciei, vivacitas oculorum, corpus propriis viribus sustentandum. Faustum phoenomenon suppeditat somnus naturalis quietus sub quo aeger lateri incumbens, membris modice flexis, profundius spirat ac leni sudore madet. Hydrops anasarca, otorrhoea corryza qua metastases hinc inde salutes observatae fuere. Exigua spes sanitatis recuperandae affulget tunc si hydrocephalicus antea morbis impetiginosis malignis chronicis, depascentibus vel vermibus subjectus fuerit. Ominosum symptoma est vomitus frequens materiae biliosae absque signis manifeste gastricis, omnique therapiae contra adhibitae rebellis. Spasmi persistentes periculum augent, non-

dum exorti minuunt. Visus luscus axi oculorum divergente nisi habitualis sit infaustum omen anuntiat, sic et rubor conjunctivae bulbi profundus, cum pyorrhoea, plerumque lethi praecursor est. Rubor faciei corpore eo tum universo livescente sudore frigido viscido perfuso, exanthema miliare a Wichmann ut certi ominosi exitus antesignani considerantur. Respiratio gravis, profunda, stertorosa, tarda, laboriosa, vel et nimium citata brevis, meteorismus, frigus extremitatum, pulsus filiformis vix digito palpandus, velut phoenomena nimium pertimescenda a medicis habentur.

### T h e r a p i a.

§. 11. Una eademque species medicamentorum, constans adhibitio methodus ac apparatus stimulantis ac antiphlogisticae, omni Hydrocephalo haud adaequata erit, cum omnis varietas morbi formae, immo omne stadium diversa postulet remedia. Interest plurimum ut mature anguis latens in lucem protrahatur nam ab accurata, certa, citoque facta diagnosi salutem aegri pendere, notum est. Jam secunda tertiave morbi die malum periculi plenum hinc inde characterere distincto insignitum cernitur, nunc igitur exactus observator media tentet validissima, nec cunctando tempus irreparabile praeterlabi sinat. Nunquam is tenellos de dolore capitis obtuso conqueri audiat, quin anamnestica rite pensaverit ac cum praesentibus phoenomenis comparaverit. Therapia igitur in hoc morbooso statu certa, tuta, cita, consequens, intrepidaque sit. In indicatione autem sequentia momenta pensanda erunt.

1. Sublatio irritationis vasorum, ac inflammationis.
2. Excitatio activitatis tubi intestinalis, ac derivatio stimuli ab encephalo.
3. Nec consideratio momentorum pathogeneticorum praetermittenda.

§. 12. Primo indicationis momento respondebit medicus si omnem stimulum sollicite amovere, praesentemque minuere conabitur, quare vitae regimen antiphlogisticum sit oportet, hoc tamen solo neutiquam sufficiente, morbus eminenter inflammatorius congruis medicaminibus compescendus erit, interquae facile ac princeps sanguinis evacuatio locum occupabit primum. Leroi undas sanguinis aetate infantili caput versus praeprimis directas esse docet: sicubi itaque frons calcet, mox hirudines applicandae, Rush, Monro, Whitt, Levret, natura morbi penitus indagata universim svadent phlebotomiam audacter susceptam. Videndum igitur, ubi et qualibus cum cautelis evacuatio sanguinis suscipi debeat. Si hydrocephalus per exanthema cito evanidum, evacuationem normalem vel habituales suppressam ortus fuerit, sanguis quin diu cunctemur mittendus est, infante praesertim antea sano robusto, infirmato, atque fronte sicca calida, pupilla arctata photophobia, respiratione anxia, tussi sicca dolorifica, pulsu pleno duro eo carotidum manifesto. Semper tamen ita caute sanguis mittatur ne activitas sistematis arteriosi multum depressa, patiatur. Habitus corporis, aetas, morbi gradus, copiam ac modum mittendi cruoris determinant. Infantibus teneris aplicantur sanguisugae temporibus, fronti 2—4, adultioribus 6—8—12. Repetita depletio localis sanguinis necessaria erit, si post remissionem symptomatum, passionem cerebri indicantium, ea post ellapsum nyctimeron cum exacerbatione majori recrudescant. Si vena secunda sit, haec nisi adultioribus 7—8 annorum prolibus aperiat, habito semper respectu teneritudinis organismi universi.

§. 13. Ut medici humores encephalo contentos derivent, remediis alvum vacuantibus usi sunt, quare corpus humoribus valide exinanire conabantur, quo fine hydrargyrosus muriaticus mte adhibent. Dobson, Percival, Acrey, Odier, Moseli effectus sulutares inde vi eos multis laudibus extollunt, nam non solum vim evacuantem, verum absorptioni humorum effusorum

faventem, mercurio dulci inesse compertum est. Mox ut sanquis vacuatur remedium hoc propinandum erit, cujus dosis partim per aetatem, partim per singularem organismi receptivitatem definietur hanc nec nimiam sed nec anxie parvam esse debere suapte intelligitur. Efectu hydrargyri exoptato producto, si cum pulsu celeri organorum uropoëticorum ac sistematis lymphatici actio torpeat, calomeli pulvis digitalis purpureae addi potest. Cautè tamen minutisque dosibus hoc remedio utendum, additamentum  $\frac{1}{4}$ — $\frac{1}{2}$  grani aetati tenerae convenit. Actionem remediorum interiorum multum adjuvant medicamina externa qualia praecipue in frigore ac revelentibus possidemus.

§, 14. Adplicatur vero frigus in somentis si fieri possit glacie remixtis Cell Schmucker ad frigus aquae augendum, huic nitrum, muriatem ammoniae ac acetum addere jubet, fomenta haec omni quadrante horae capite pilis deraso, eousque cranio adponentur, donec coenaesthesia amoene mutata pulsuum frequentia, calor cutis, siccitas oris, nausea imminuta esse observentur, ac quies somnus tranquillus, sudor salutaris redeant. Brandis, Eike, Formey, Heim praeeunte Cell Currie perfusiones cum aqua gelida adhuc efficaciores esse ajunt. Modus has debite adplicandi fere sequens est: infans cujus pili rescissi, collum tela cerea velatum sit lecto levatur, ac ejus capiti modice declivi ex loco altiori aqua frigida rivo tenui continuo suffunditur. Ad effectum plenarium obtinendum opus erit ut perfusiones hae certis temporibus diu noctuque continentur. Revellens eximium est emplastrum cantharidum quod facta jam evacuatione sanguinis, nucae, brachio, suris applicatur. Monro, Cullen, idem latum capiti deraso applicandum ulceraque hinc exorta diu in suppuratione conservanda esse svadent.

§. 16. In serie antagonistorum nominari mereatur pediluvium moderate calidum, cineribus, synapi, mixtum, semicupia. Cell De Haen moxam, alii ferrum candens, phosphorum, corticem mezerei, statui huic

accomodata esse volunt. Unguentum neapolitanum ab Perkin Macker commendatum nuchae, inguinibus surae adtritum, adjuvans est medicaminum internorum. Si felix eventus conatus medentis coronaverit, in stadio reconvalescentiae circumspectione peculiari opus est, ut recidivae praecaveantur. Regimen vitae sic coordinandum ne irritatio quaeque locum habeat. Adpetitus cibi moderetur. Roborantia cauta manu propinentur.

Tractamen medicum sub stadio exsudationis.

§. 16. Morbo jam in stadio exsudationis constituto opponimus usum remediorum supra nominatorum cum certa modificatione. Phlebotomia lymphae exsudatione jam subsecuta, haud proderit, in casibus tamen quibusdam hirudines quae si stadio morbi inflammatorio applicitae non fuerint, utiliter adhibentur, usum quoque calomelis ac digitalis purp. effectus saepe fausti comitantur. Valeriana, arnica, castoreum, moschus, camphora, balsama, olea aetherea, praeparata ammoniae, aetheres, totusque apparatus stimulans ab schola Brunonis in hoc morbo asthenico impense commendatus, saluti aegrorum rarissime consulit.

Stadio paralyseos subsecuto omnia remedia heroica, excitantia super vacanea sunt, cura solum symptomatologica ad leniendos dolores, spasmos sopiendos indicata foret.

---

## **T h e s e s.**

1. Hydrocephalus acutus infantum vera phlogosis est.
2. — est morbus evolutionis.
3. Aquas soterias, artificiales supplere nequeunt.
4. Medicina pro diversitate locorum diversa. Celsus
5. Concisio cataractae ceteris eanem operandi methodis praeferenda.
6. Narcoticorum effectus mere negativus est.
7. Cholera indica morbus epidemicus contagiosus rarissime est.
8. Medicus si prodesse non potest, certe non noceat divus Hippocrates monet.
9. Non dantur remedia directe calculum solventia
10. Initia syphilidis cum epocha detectionis Americae synchrona, eruditis eo imposuere, ut syphilidis origines primas ex America repeterent.